

DE
ORIGINIBVS INFINITAE POTESTATIS
COMMENTATIO PRIMA

29

QVA
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
IOANNIS ADOLPHI

DVCIS SAXONIAE
IVLIAE CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE
THVRINGIAE LANDGRAVII MISNIAE ATQVE VTRIVSQUE LVSATIAE MAR-
CHIONIS COMITATVS HENNEBERGICI COMITIS PRINCIPIS ET MARCAE
RAVENSBERGIAE ET BARBIAE COMITIS RAVENSTEINII

DYNASTAE RELIQA

PRINCIPIS DOMINI
ET
GYMNASII ACADEMICI
NVTRITORIS MVNIFICENTISSIMI
DIEM NATALEM

a. d. IIII. Septembr. mensis

IN GYMNASIO ILLVSTRI

a. d. VIII. eiusd. mensis

ORATIONE SOLLEMNI
RELIGIOSISSIME OBEVNDVM
INDICIT

JOANNES GEORGIVS WALTHER

SERENISSIMI DVCIS CONSILIARIUS PROFESSOR PVBL. ORD. HISTORIARVM LIT-
TERARVM HUMANIOR. DOCTRIN. MORALIS ET POESEOS BIBLIOTHEC.
AC RECTOR ADI. GTMNASH ACADEM.

WEISSENFELSAE LITTERIS RICHTERIANIS.



anniversaria sunt rursus vota facienda, eaque in auspiciatissimo die natali SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI IOANNIS ADOLPHI, SAXONIAE DVCIS, *Optimi Patris Patriae, Sapientissimi Belli Dueis,* in primisque Gymnasi Nostris Clementissimi Statoris: qui aeque martis ac artis alumnos fouere, togae bellique disciplinam excolere solet. Ad hoc officium hoc laetiori accedimus animo, quo certius inter omnes constat, votorum nos, superiori solutorum anno, compotes factos. Tunc enim temporis cum *Prudentissimus Princeps,* qua est diuina sapientia, stare a melioribus partibus; cum, qui effusus est eius in ciues Saxonicos amor, patriae succurret periclitanti; cum denique, agitante eum propria sanguinis Saxonici fortitudine, sumnum adiret vltro periculum: DEO immortali omnibus precibus ac supplicationibus fortunam salutemque eius commendauimus; ac praesertim nos, vti debuimus, si votis annueret, ad singularem obligauimus Numini praestandam demississime pietatem. Atqui huius voti, rei tunc facti, nunc, quod triumphamus merito, damnati sumus. Nimirum, quae voto tum, religiosissimis concepto verbis, promisimus: ea, quod ratum hoc habuit Numen, tenemur iam omni praestare obseruantia. Huic officio, et gaudii et spei plenissimo, hic dictus est dies, quem obire etiam haec litterarum bonarum sedes inter alia oratione sollemni cupit. Ut autem rursus e patria, cuius dulcis est semper memoria, aliquam depromam dicendi materiem, proponam

Comparationem ADOLPHI NOSTRI cum ducibus Thuringiae antiquis ad usque Conradum I.

et comprobabo, vniuersis his ac singulis nostrum Patriae Partem cum belli tum togae artibus multis partibus praeferendum esse. Ad hanc igitur orationem, cum in Principis laudibus,

dibus, votisque pro eo nuncupandis, tum in nobili patriae antiquae parte ponendam, Patronos omnium ordinum ac Fautores Illustrissimos, Illustres, summe ac plurimum Venerabiles, Praenobilissimos, Doctissimosque, et Ciues Gymnasi acadi-mici Generosissimos Nobilissimosque humanissime inuito.

Comites hi Thuringici duplici vtebantur potestate, et definita, quod regibus Francicis suberant, et infinita quodammodo, respectu nimirum ad Comites, ipsis subiectos, habito. At non sapientissime hoc usurparunt imperium. Contra *Celissimum nostrum IO. ADOLPHVM*, nemo ignorat, ad vtrumque imperii genus, optime administrandum, fere a natura factum esse. Incredibili enim et sapientia et fortitudine gubernat militiam *Potentissimi Poloniarum Regis*: cuius imperii definita est, vti constat, ratio. Summa porro magnitudine iustitia et bonitate praeest terris haud mediocribus, quarum administratio ad infinitam adspirat potestate. Atque huic cogitationi cum superioribus temporibus, vti debebam, vacarem: subnata mihi quaedam dissertatio de originibus infinitae potestatis; cuius confectione, quod *Diuini Principis Nostri* imaginem excelsam saepius ante oculos ponebat, admodum iucunda fuit, atque horum temporum suspiciosissimorum molestiam abstersit. Disceptionis huius, programmatis, quod dicunt, vnius fines excedentis, particulam nunc cum orbe litterato communico: reliquam eius partem suis temporibus suisque in locis explicaturus.

Centum fere anni iam circumacti sunt, cum Carolus I. magna Britanniae rex, optimi princeps ingenii, quadraginta virorum rebellione facta, securi publice percussus est 1).

(2)

Hi

1) Regis huius Caroli I. qui d. xxx. Ian. cia ioc xxxxviii. occisus est, res, in primis mors, traditur optime in Sylloge variorum tractatum, anglico quidem idiomatico et ab auctoriis Anglis conscriptorum, sed in lingua latinam translatorum, quibus Carol. I. magna Britanniae Franciae et Hiberniae Regis innocentia illustratur etc. et quidem tractatu XIII. XIII. XV. prodit liber 1649.

III.

Hi animo in regem innocentem infesto, quod tum supremum constituebant senatum Anglicanum, scelus hoc populi nomine velabant. Idecirco acerrime disputatum est. Regis occisi partes, Caroli II, filii, impulsu, tuebatur Claudius Salmasius 2) : populi Anglici Io. Miltonus 3). Vterque non vna prosecutus est scriptione caussam. In primis motae quaestiones de iure regio, de senatus Anglicani auctoritate, de limitibus regiae potestati ponendis: quin hinc atque illinc etiam ad ipsas cum definitae tum infinitae potestatis origines ascensum. Non repeto res in facto positas, neque infandam, aeternaque obliuione terendam, mortem: de quibus Rapinus Thoyras, auctor historiae Anglicae et amplissimus et excellentissimus in consilium adhiberi poterit 4). Non recolo innocentiam optimi regis, quam abunde docet eius *Εινῶν Βασιλεὺς* 5): quem librum sua manu scripsisse, plurimi testantur Angli 6). Mitto etiam scriptores recensere, qui rem, vel in facto vel iure positam, illustrant, quod fecit iam B. Io. Burchard. Struuius, nonnullis tamen praetermissis 7). Hic disputandi feroꝝ se non continuit Anglia et Belgio, sed paene totum peruagat̄ est orbem occidentem. In Germania, breui post regis suppli-

cium

- 2) Claudius Salmasius in defensione regia pro Carolo I. ad Carolum II. prodiit regis sumitibus 1650. 12. non vero quarta forma, vt est apud Struuium, neque expressa vox Parisiorum. Huius quoque opus posthumum sive ad Io. Miltonem responsio, extat Londini 1660. 12.
- 3) Io. Miltoni, Angli, pro populo Anglicano defensio Londini, 1652. 12. et rursus in defensione pro populo contra tractatum anonymi: cuius titulus: regni sanguinis clamor ad coelum adu. parricidas Anglicanos, Hagae comitum 1654. 12.
- 4) vid. Rapini Thoyras histor. Angliae, gallice scripta, Tom. VIII. toto; indelem regis adumbrat p. 72c. sq. quam vereor, vt omnibus sic probaturus. Virtutes enim priuatas in eo admittit; regias tollit.
- 5) *Εινῶν Βασιλεὺς* vel imago regis Caroli I. Hagae comitum 1649. 12. breuis historia libri in Struuii Bibliotheca historica Tom. I. p. 608. longior in eius bibliotheca philos. notis doctissimi Kahlii illustrata Tom. II. p. 193.
- 6) in primis Wagstaffius in libro: *Vindication of King Charles the martyr*, Londoni 1699. 8. typis descripto.
- 7) Sic omisit Metamorphosis Anglorum, quae prodiit 1663. 12. Herm. Conflingii, Fieblauii, allorumque scripta.

cium, Hermannus Conringius, summus prudentiae civilis doctor, de regno commentatus est, et regiam conatus in uniuersum defendere caussam 8). Rursus Naamus Bensenius, praeside hoc Conringio, de summae potestatis subiecto, quod dicit, motus eadem Caroli I. caussa, proposuit ad diiudicandum dissertationem 9). Hanc vel Conringii vel Bensenii sententiam illico aggressus est, consentiente Benedicto Carpzuvio, I^oto Lipsiensium celeberrimo, Ioannes Fichlauius 10). Sequenti anno prodierunt, impulsore Conringio, Bensenianae vindiciae 11). Totum hoc certamen filet celeb. Struuius.

Hos aliosque scriptores, cum nuper, occupatus in Angliae historia, versarem; compere fere omnes, ingenii aestu sublatos, extra fines longius saepe euagatos esse. In ratione cum factum iuris Salmasiana et Miltoniana idem iamdudum viderunt eruditii. Superfunt tamen et alii, quoque animaduertendi, errores. Debemus hoc magnis eruditorum certaminibus, ut quidem horum ope multa comprobentur liquido, rationibus in utramque partem adcurate subducitis: nonnulla tamen, contradicendi libidine vel negligentia, plane peruertantur. Claudius Salmasius antiquis omnibus regibus, ut caussam tueretur eo melius regiam, tribuit infinitam potestatem. Audiamus ipsum 12): *qui regem dicit, eum intelligere velle palam est, cuius suprema in regno potestas, nullique alii nisi D E O obnoxia, cuique adeo soli actuum suorum rationem reddere cogitur, praeterea nemini. Cui, quod libet, licet. Qui legibus solutus est. -- Haec sunt regiae potestatis iura et dominica, quae SEMPER et APVD OMNES GENTES, quibus regius dominatus placuit, rata fuere et fixa, et*

(3)

pro

8) vid. Herm. Conringii Oper. Tom. III. p. 875. ed. Goebelio.

9) Bensenius de summo potestatis subiecto Helmstadii 1650. in opp. Conringii Tom. III. p. 909.

10) Fichlau in diss. de imperio absolute et relate considerato in opp. Conringii Tom. III. p. 958.

11) extant in opp. Conringii Tom. III. p. 929. scriptae impulsore, Conringio p. 910.

12) Salmasius p. 22, in defens. regia add. eiusd. Responsio ad Miltonem p. 10. seq.

VI.

pro lege, a qua recedere non liceret, obseruata. Atque in eam
dem sententiam saepe in eodem capite, vbi omnium saeculorum
ac gentium hanc vocem dicit. Miltonus contra comprobare
annititur: nullam gentem aut populum, qui quidem ullo numero
fuisset, istiusmodi iura ac (infinitam) potestatem regi concessisse 13),
Innumera alia non adduco loca. Fichlau etiam, ac cum eo Carp-
zouius: Nullus populus, inquit, nullus gens, nulla vniquam natio fuit,
quae suis regibus infinitam quamdam et indeterminatam concessit
potestatem 14). At vero vtraque haec sententia, ad historiac
obrussam examinata, longissime a vero abest. Hermannus
Conringius omnia definita regna, in quibus scilicet rex finita
gaudet potestate, negat vera, sed adumbrata modo, regna es-
se 15). Iacobus Perizonius, qui, multis post annis, regi-
bus quidem antiquis definitam asseruit potestatem; tamen
definitae huius, et quae huic opposita est, infinitae non
germanas ostendit origines, non aetatem, non rationem 16).
Omnes autem fere in vniuersum imperium summum cum in-
finito confundunt; quae duo tamen secundum veteres sunt
seiungenda. Age igitur primum de discrimine summi et in-
finiti exponamus imperii; deinceps de originibus infinitae po-
tissimum et definitae potestatis, de aetate vtriusque figenda,
de caussis constituendis. Qua occasione locum difficultatum liberare conabimur 17).

Notio definiti, infiniti, et summi imperii apud recentiores politicos scriptores admodum est confusa. In primis falso id dicitur imperium summum, quod infinitum est: cum magis definitam significare potestatem soleat. Vtramque rem primum definitione aliqua comprehendam. In vniuersum

infini-

13) Milton pro populo Anglicano p. 27.

14) huius Fichlauii vel Carpzovii diff. extat in operibus Conringii Tom. III. p. 958.

15) Herm. Conringius in diff. de regno, quae est Tom. III. p. 873.

16) diff. huc spectans Iac. Perizonii est VI. p. 624. quae Lugd. Batav. 1740. prodicunt ed. Heineccio.

17) 1 Samuel. VIII, II.

infinitum est magistratus illius *imperium*, penes quem solum omnium rerum arbitrium est, nec rationem reddere alteri cogitur: *definitum* autem, qui nec solus omnia ex voluntate administrat, et ab quo rerum actarum gestarumque ratio reposci potest. Sigillatum rex finito est, siue definito circumscriptus imperio, cuius potestas singulorum quidem subiectorum, sed non vniuersorum, facultate maior est: at cui regi infinitum tributum est imperium, ille et singulis et vniueris potentior est. De potestate definita, quam recentiores compositam dicunt, res haud dubie in aprico posita, nec debet pluribus disputari. Atqui haec potestas saepius a Romanis vocatur imperium summum. Hoc enim ab illis tribuitur gubernatoribus prouinciarum, stante adhuc republica Romana: quos prouinciarum rectores, constat, senatu populoque Romano rerum suarum retulisse rationem. Erant vel *cum imperio*, hoc est, exercitui quoque praerant ad prouinciam vel muniendam vel pacandam vel amplificandam: vel tantum *in imperio*, nimirum quando eorum administratio iuris dictione sola continebatur, quod, aliis Romanorum prouinciis circa munita eorum regio, copiarum praesidia necessaria non haberet. At vero non tantum iis, qui cum imperio esse, sed etiam in imperio dicebantur, tributum est imperium summum. Sic M. T. Cicero saepe fratri sui Quinti Ciceronis imperium dicit summum, cuius tamen Asiae administratio solam comprehendebat iuris dictiōnem, nedum rei militaris potestatem habebat. *Praeclarum est*, inquit, *summo cum imperio fuisse in Asia triennium* 18), et paullo post 19): *nunc quidem profecto isti prouinciae contigit* (Asiae), *ut is in ea summam potestatem haberet, cui in doctrina etc.* rursus eodem Capite: *Quare quoniam in ipsis urbibus cum summo imperio et potestate versaris, in quibus tuas virtutes consecratas, et in deorum numero collocatas vides. Et sic*

18) M. Cicero ad Quint. fratrem Lib. I. Epist. t. C. 2.

19) Cicero ibid. C. 10.

VIII.

sic saepius. Obiter moneo, ex eiusmodi locis cogi posse contra Virum excellentiss. Io. Frid. Gronouium, Imperium in prouincia aliqua non semper significare potestate exercitum habendi, et ei imperandi, remque bellicam administrandi 20).

De infinita autem potestate praecclare C. Cornelius Tacitus, de Germanis exponens : *Reges ex nobilitate, inquit, duces ex virtute sumunt.* Nec regibus infinita aut libera potestas 21). Nam definita, vti constat, vtebantur. Similiter Cicero imperium infinitum ac potestatem usurpat de M. Antonio, Praetore 22), qui, auarissimus homo, sibi arrogauerat multo maiorem in Sicilia potestatem, reliquis Siciliae praetoribus, atque infinitum imperium in omnes oras maritimas, in primis gratia Cotiae Consulis. Idecirco reprehendit Verrem, infinitum eiusmodi secutum in Sicilia imperium, quod in re adeo improbissima voluisse imitari Antonium. Decemviris illis, quos Rullus volebat constitui sine suffragiis populi ad agros diuidendos, infinita tribuitur potestas innumerabilis pecuniae conficienda de romanis vectigalibus 23). Alia hue spectantia non conquiro loca. Huius infinitae potestatis apud Romanos speciem praebent Dictatores: in quos vniuersum populi Romani imperium deuolutum erat, vt ab ipsis ad populum nulla esset prouocatio. Non tantum sumimum habebant imperium, quales omnes prouinciae praesides, sed regiam potestatem, atque inuictum (sive infinitum) populi Romani imperium. Horum edictum pro Numine obseruabantur; non Senatus, non tribuni plebis, non populi Romani auctoritate iussisque, sed horum omnium modo supplicibus precibus permoueri poterant, vti abunde docet L. Papirii dictatura 24). P.P. Weissenfelsae ad Salam a.d. viii. Sept. ccccxxxxv,

20) Io. Frid. Gronouius ad Liuii L. XXXX. C. 36. n. 2. T. III. p. 689.

21) Tacitus de moribus Germanor. Cap. 7. Toma. II. p. 597.

22) Cicero in Verrem III. 91.

23) Cicero de lege agraria contra Rullum Orat. II. C. 13.

24) Liuius Lib. VIII. C. 32. p. 724, C. 33. et Cap. 34. p. 731.

01 A 6627



56.

DAF VD 18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

DE
INFINITAE POTESTATIS
MENTATIO PRIMA

QVA
**PRINCIPIS AC DOMINI
OMINI
IS ADOLPHI**

IS SAXONIAE
NTIVM ANGARIAE WESTPHALIAE
MISNIAE ATQUE VTRIVSQUE LVSATIAE MAR-
NNEBERGICI COMITIS PRINCIPIS ET MARCAE
ET BARBIAE COMITIS RAVENSTEINII
DYNASTAE RELIQA
PRINCIPIS DOMINI

ET
INASII ACADEMICI
**S MV NIFICENTISSIMI
M NATALEM**

d. III. Septembr. mensis

JASIO ILLVSTRI
a.d. VIII. eiusd. mensis
ONE SOLLEMNI
OSISSIME OBEVNDVM
INDICIT

GEORGIVS WALTHER
IUS PROFESSOR PVBL. ORD. HISTORIARVM LIT-
OCTRIN. MORALIS ET POESEOS BIBLIOTHEC.
OR ADI. GTMNASII ACADEM.

AE LITTERIS RICHTERIANIS.

29